



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 37. Actum de pace Reginam inter & Principes concilianda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. „quibus salus publica curæ est, neque
A. C. 1614. „mihi alia erit mens, dummodo per
 „tua arma liceat., Hæc quidem Re-
 gina ad Condæum perscripsit, cum au-
 tem facile perspiceret, eo jam deven-
 tum esse, ut ferro frangenda sit seditio,
 ne igitur, quod sui muneris rationes
 exigebant, negligeret, nec, ita suaden-
 te Matris cura, Regi filio suo in ullo
 defensionis genere deesset, vim vi re-
 pellere statuit: Aderant eidem citius
 dicto Bassompetrus, & Galatius Hel-
 vetici præsidii Ductores cum fortissimo-
 rum tribus millibus. Prætorianorum
 quoque sub Espernonio Duce quatuor
 millia, novisque supplementis a Lavar-
 dino adductis tredecim armatorum mil-
 lia adversus Principes, quorum exer-
 citus vix sex millibus constabat, in a-
 ciem fuereeducta.

§. XXXVII.

*Actum de pace Reginam inter &
 Principes concilianda.*

Serran. & Gramm. l. c. Interea Bullionius Calvinianæ sectæ
 Princeps, hujusque belli Author
 conjuratorum Principum copias duce-
 bat, indicto ad Sueffiones loco castra
 metatus: cum vero Praslinius jamjam
 cum valida manu contra Nivernium
 Ducem in Campaniam moveret, &
 Gui-

Sæc. XVII.
A. C. 1614.

Guisus Dux Parisiis delectos militum ad pugnam paratos haberet, territi Principes impari suorum numero, cum copias eas, quæ multitudine, causæque justitia præeminebant, successu quoque prævalituras timerent, pacem, excusata tamen rebellionis culpa, exoptare cæperant: Opportune etiam Regina concordie avidissima Guisium selegerat, qui Regine nomine Principibus pacem offerret: seliguntur hanc in rem Vantadurius Dux & Thuanus, quorum tamen industriam Principum pertinacia elusit. Mittuntur iidem iterum ac tertio, adjunctis Boisissio, Bullonio, & Joannino, qui ad Sueffiones delati præter spem cunctos Principes ibidem congregatos, excepto Vindocinensi Duce reppererunt. His ergo seditionis pericula exponunt, Regine clementiam deprecant, honestasque pacis condiciones offerunt: Inclinantur ad saniora Principum animi, placuitque agendis inter se rebus, scribendisque legibus locus Manechildis oppidum, ubi demum in has itum est condiciones. I. Regni comitia ad diem decimam tertiam Augusti indicantur. II. Arces recens extructæ diruantur. III. Milites per nuperos Principum motus conscripti nulla mora dimittantur. IV. Ambasia urbs & arx Condæo, depositi jure, ad tem-

Sæc. XVII. tempus permittatur. V. Restituatur
A. C. 1614. Dux Vindocinensis Præfecturæ Britan-
 nicæ. VI. Principes restituantur, eis-
 que non modo præteritorum oblivio,
 promittatur sed & apud Regem exte-
 rosque Principes excusatio, *quod tan-*
quam boni publici, non Rebellionis studio
discessum primo ab aula, dein ad castra ven-
tum esset. VII. Militi ex ærario publi-
 co stipendia solvantur. VIII. Factioni-
 bus quibusvis pro omni tempore ab-
 stineatur, initæque dissolvantur. IX.
 Nivernio Duci Campaniæ Præfectura
 reddatur. His legibus annuere omnes,
 excepto Vindocinensi, qui tum absens
 erat, huicque foederi subscripserunt,
 quod etiam Rex, ac Regina ejus Ma-
 ter Regio firmarunt annulo.

§. XXXVIII.

Novi tumultus per Condæum Prin-
cipem, ejusque Socios concitati.

Sleid. 'cont.
l. 18. art. 10.
& seq.

Attamen sicut nec diuturna nec firma
 pax in chartis scripta est, ubi sin-
 cera animorum conjunctio desideratur,
 ita sane haud diu valuit hoc foedus re-
 cens initum, Principum indignatione
 non extincta, sed sub cineribus adhuc
 latente. Hos inter Cæsar Vindocinen-
 sis recenti præsertim captivitatis me-
 moria in Reginam adhucdum exan-
 descens,